



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris Theologia Tripartita Universa

Complectens nunc Bibliothecam perfectam Viri Ecclesiastici, ordine
sequenti

Controversiae Heterodoxae Ac Scholasticae - Cum speciali Notitia rerum
Modernarum, & Chronologia totius Monarchiae Sacrae, & Saecularis,
Pontificum, Conciliorum &c. Haeresum omnium, ac Propositionum
damnatarum Mundi Sex Aetatum ...

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

Argumentum 2. Ecclesia Christi est antiqua, omnes modernæ sectæ sunt
novæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38447

Hujus successiois defectus. *Anglia* Ministros gravissime remordet, qui sepius postulati de legitima ordinatione *Parkeri*, qui primus post hæresim tanquam Archiepiscopus Cantuariensem Sedem occupavit, nec testes, nec tabulas, nec ullum derivati à Christo Ordinis, aut potestatis judicium legitimum unquam profere poterunt.

VIII. Quorum unus haud ita pridem quasi collabenti Ecclesie humeros suppositurus, non antiquas tabulas, sed novas fabulas evulgavit, de *Parkero* in quadam taberna per aliquos Romanæ Ecclesie Episcopos in Præfulem consecrato. Sed non defuit author Catholicus, Dublinensis nuper Præful illustrissimus, qui calamo suâ eruditione digno commentum illud aperte dissolvit, & ad vivum resecurit, uti attingemus infra tra. 3. c. ult.

ARGUMENTUM II.

Ecclesia Christi est antiqua, omnes moderna Secte sunt nova.

IX. **E**cclēsia Christi est antiqua, quia ab annis plusquam mille & sexcentis à Christo fundata est, & sic in omne tempus futurum stabilita, ut promiserit portas inferi contra eam nunquam prævalituras. Sed Ecclesie Lutheri & Calvini est nova; Ergo hæc non potest esse vera Christi Ecclesia. Minor clarè probatur. Quia possumus assignare ipsam locum, & tempus, quo recenter exorta est hæresis Lutherana, ante centum circiter annos, tempore Caroli V. Imperatoris, & Leonis X. Pontificis; & ostendere primum ejus authorem Martinum Lutherum, qui post quindecim sæcula à constituta Christi Ecclesia comparuit, & ab antiqua Ecclesia spontè defecit, & Sectam Lutheranam, de qua nihil unquam antea auditum fuit, in Germania inchoavit. Sed hæc sunt manifesta novitatis indicia, quæ aperte demonstrant Sectam Lutheranam (& idem est de aliis novis) non posse dici veram Christi Ecclesiam. Repugnat enim illam Sectam, quæ est nova, esse Ecclesiam Christi quæ est antiqua: originem habuisse à Lutherò postremo sæculo, & tamen ante annos mille sexcentos à Christo institutam fuisse.

X. Si dicas, Ecclesiam Lutheranam olim quidem extitisse, sed hæcenus per 1500. annos ante Lutherum *occultam & invisibilem* latuisse. Responso illa per se frivola hoc *Dilemmate* clarè refutatur. Religio Lutherana vel extitit ante Lutherum, vel non extitit. Si ante Lutherum extitit occulta, ut affirmas, non potuit esse vera Christi Ecclesia, quæ debuit semper esse visibilis & conspicua, sicut civitas supra montem posita, sicut lucerna, sicut publicum tribunal ad quod jubemur confugere Matth. 18. *Si autem noluerit se audire, dic Ecclesie;* his enim Christus Ecclesiam suam similem esse declaravit. Si verò dicas ante Lutherum non extitisse, ergo est Religio novitia, ac proinde non potest esse Religio Christi, quam constat esse antiquam.

XI. Sola itaque superest *Ecclesia Romana*, quæ initium Romæ sumpsit ab ipso Petro cuius Sedem per suos Successores continuo possidet, cujus recens institutio, aut novus author nullo unquam loco aut tempore post Petrum assignari potest, quæ sunt antiquæ & veræ Christi Ecclesie manifesta argumenta.

Hoc argumentum approbare coactus est ipse *Lutherus*, dum Zuinglianòs recenter emergentes oppu-

R. P. Arjdek. Tom. I.

gnaret in *Epist.* ad Ducem Borussie, & haberet in ejus tom. 2. impresso *Vittembergæ* fol. 362. "Periculosum, inquiet, & terribile est audire aliquid aut credere contra, tra concors testimonium, fidem, & doctrinam totius, sanctæ Christi Ecclesie, quæ jam supra mille quingentos annos per universum orbem concorditer statuit &c. Telum hoc ab antiquitate desumptum, quod fortissimum agnoscit, quis nos videt contra ipsum Lutherum, alioque horum temporum Sectarios validissimè retorqueri? Quomodo igitur ego salutem æternam, quæ solum in antiqua Christi Ecclesia obtineri potest, inter novos horum temporum Sectarios sperare poterò? Hoc si expendas benè, non poteris malè concludere.

ARGUMENTUM III.

Alie omnes Secte docent Hæreses in primitiva Ecclesia damnatas.

XII. **O**mnis illa Religio falsa est quæ continet hæreses à Catholica & primitiva Ecclesia olim damnatas. Atqui modernæ Sectæ Lutheri, & Calvini, &c. continent hæreses à Catholica & primitiva Ecclesia olim damnatas. Ergo eorum Religio debet esse falsa, & primitivæ Ecclesie contraria.

XIII. Minor hujus argumenti probatur primò: Quia tã Lutherus quam Calvinus docet, Bona opera non esse ad salutem necessaria, sed solam fidem sufficere. Atqui hæc eadem fuit olim hæresis Simonis Magi, teste antiquissimo S. Irenæo l. 2. cap. 20. & Eunomianorum olim ab Ecclesia damnatorum circa annum Domini 360. teste S. Augustino hæresi 54.

Lutheri, & Calvini Doctrina est, Traditiones esse rejiciendas, & solam Scripturam recipiendam. Eadem hæresis à primitiva Ecclesia damnata est in Ario, Nestorio, Eutychete, & Dioscoro, uti patet ex S. August. lib. 1. contra Maximum cap. 2. item ex Synodo 7. actione.

Tam Lutherus quam Calvinus negat Sacramentum Pœnitentiæ, & Confirmationis. Doctrina hæc tanquam hæretica in Novatianis olim ab Ecclesia proscripta est, teste antiquissimo Cypriano lib. 4. epist. 2.

Docet Lutherus & Calvinus, Ecclesiam olim visibilem postea periisse, & illam in suo tantum cœtu existere. Fuit hæc quoque hæresis Donatistarum contra primitivam Ecclesiam, uti testatur August. lib. de unitate Ecclesie cap. 12.

Asserit uterque, venerationem Reliquiarum, Imaginum Christi, aut Sanctorum esse idololatriam. Idem asseruit Vigilantius hæreticus teste Hieronymo, & olim Iconomachi ab Ecclesia damnati, teste Cedreno & Nicephoro de Iconomachis.

XIV. Negat cum Luthero Calvinus, orandum esse pro defunctis, observandum jejuniū Quadragesimale, aut aliud ab Ecclesia præscriptum. Idem negarunt olim Aëtiani hæretici, teste Epiphano & Augustino de hæresib. cap. 33.

Quid igitur manifestius quam hæreses olim ab Ecclesia Christi damnatas, à Luthero & Calvino doceri, ac renovari? Et quidem plerasque ante tempora S. Augustini. Cum tamen ipsi fateantur veram & primævam Christi Ecclesiam, quæ eas hæreses damnavit, ab omni erroris suspitione immunem fuisse. Illas autem hæreses dum reprobavit, necessarò omnes Sectas eandem doctrinam profitentes hæreticas esse declaravit.

C 2 XV. Ex

Arjdek
Kin

Theologia